Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

142

omnis homo repararetur. nullusque secundum quod iubet lex ordinaretur. Sed certe si quis sine crimine sicut est homicidium. adulterium. aliqua inmunditia fornicationis. furtum. fraus. sacrilegium. et cetera huiusmodi. cum ceperit ea non habere homo. debet autem non habere omnis christianus homo. incipit caput erigere in libertatem. Sed ista inchoata est non perfecta libertas. Quare inquit aliquis non est perfecta libertas? Quia video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae. Non enim quod volo ago, sed quod odi illud facio. Caro inquit concupiscit adversus spiritum. et spiritus adversus carnem. ut non ea quae vultis faciatis. Ex parte libertas. ex parte servitus. nondum tota. nondum pura. nondum plena libertas. quia nondum aeternitas. Habemus enim ex parte infirmitatem. ex parte accepimus libertatem. Quicquid peccatum est a nobis antea deletum est in baptismo. Numquid quod deleta est tota iniquitas. nulla remansit infirmitas? Si non remansisset. sine peccato hic viveremus. Quis autem audeat dicere hoc nisi superbus. nisi misericordia liberatoris indignus. nisi qui se ipsum vult decipere et in quo veritas non est? Ergo ex eo quod remansit aliquid infirmitatis. audeo aliquid dicere. ex qua parte servimus deo liberi sumus. ex qua parte servimus legi peccati. servi sumus. Unde dicit apostolus quod dicere cepimus. Condelector legi dei secundum interiorem hominem. Ecce unde liberi. unde

condelectamur legi dei. Libertas enim delectat. Nam quamdiu timore facis quod iustum est. non deus te delectat. quamdiu non delectat servus facis. Delectat te et liber eris. Noli timere penam. sed ama iustitiam. Nondum potes amare iustitiam. time vel penam. ut pervenias ad amandam iustitiam. Ergo iam ille ex parte superiori liberum se esse sentiebat. unde dicebat. Condelector legi secundum interiorem hominem. Delectat me lex. delectat quod iubet lex ipsa iustitia. Video autem aliam legem in membris meis. Haec est quae remansit infirmitas repugnantem legi mentis meae. et captivantem me in lege peccati quae est in membris meis. Ex hac parte sentit captivitatem. unde non est impleta iustitia. Nam unde condelectatur legi dei non captivus. sed legis amicus est. et ideo liber quia amicus. Quid ergo ex eo quod restat. Quid nisi respiciamus ad illum qui dixit. Si vos filius liberaverit. tunc vere liberi eritis. Denique et ipse qui loquebatur ad illum respexit. Infelix ego homo. quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum. Ergo si vos liberaverit filius. tunc vere liberi eritis. Denique ita conclusit. Igitur ipse ego mente servio legi dei. carne autem legi peccati. Ipse ego igitur. Non enim duo sumus inter nos contrarii de diversis principiis venientes. Sed ipse ego mente servio legi dei. carne autem lege peccati. quamdiu languor obluctatur saluti. Sed si de carne servus